

et rubatores stratarum laqueandi, judicandi, et piratas maris submergendi, juxta sacrarum legum, canonum, et jurium comunium sacratissimas sanctiones; et prout secundum ritum et Terrae consuetudinem, ac municipalia jura et statuta persuaserint; ac proditores decapitandi, membra truncandi, fustibus caedendi, et in facie bullandi; de patria ad tempus, vel perpetuo relegandi, carcerandi (1) et igne cremandi, mutilandi et debilitandi; bona talium publicandi et infiscandi; officiales instituendi et de omnibus criminibus ordinariis, extraordinariis, enormibus et levibus, publicis et privatis cognoscendi et puniendi; executiones faciendi; tam secundum jura communia, quam municipalia decidendi, cognitionem, decisionem hujusmodi committendi, in integrum restituendi; absolutionem quamlibet in judicio vel extra exercendi; de causis principalibus, appellationibusque quibuslibet, tanquam judices (2) a nobis specialiter delegati, cognoscendi, examinandi, et definiendi; decreta 1.<sup>m</sup> et 2.<sup>m</sup> interponendi, jura declarandi, et omnia quae causarum merita requirunt (3) exercendi et exequendi, ita tamen ut a vestra et officialium (4) vestrorum sententia, vel sententiis, ad audienciam nostri Imperialis culminis possit libere, totiens quotiens opportunum fuerit, provocare. Monetas sub vero pondere et charactere aureas et argenteas instituendi, ferias impnendi et tollendi; decreta et statuta ac provisiones, in praeditis omnibus et quolibet praedictorum faciendi, de novo corrugandi, jam facta tollendi semel et pluries, ac toties (5) quoties opportunum fuerit et ordo tractaverit et dictaverit rationis. Et generaliter, omnia et singula quae ad veros et legitimos Sacri Romani Imperii in supradictis civitatibus et ipsarum pertinentiis Vicarios pertinent, ut permittitur (6) libere et absque quolibet impedimento (7) faciendi, etiam si qua (8) eis jure vel consuetu-

(1) Torcerandi.

(2) Super his a nobis.

(3) Requiruntur.

(4) Officilium (sic).

(5) Totiens quo ciens.

(6) Premittitur.

(7) Impedimento quolibet.

(8) Ex eis.